

stilibus cuiuscunq; generis, à lacticijs, à leguminibus, à carnibus antiquis, carnibus porcinis, & alijs, quæ sunt semicrudæ, auibus palustribus, à piscibus quoque cuiuscunq; generis. Sed vescatur vitulis, hœdis, pullis, auibus campestribus, lepore iuvene, cuniculis, & reliquis huiusmodi carnibus, à vino consulo abstinendum. Sed optima ei erit aqua mulsa, eoq; magis, quia audio in patria assuetum eam bibere. Cauebit à computationibus, quàm maximè poterit, neque inter cœnâ & prandium aliquid bibat, aut comedat. Hęc si re-ctè obseruauerit, materia noua nō generabitur, quæ ad membrum affectū defluat. Pro membris corroborandis, in quibus est materia generata, laudo vt optimè muniat vestimentis ventriculū, vtraque hypochondria, caput & membra extrinseca, sicut manus & pedes. Pedes enim quàm maximè tegi debent tum à frigido, tum ab humido. Hęc satis puto pro roborandis membris intrinsicis, in quibus nullum est vitium intrinsicum, vt ego conijcere possum. Quantum verò attinet ad vias latiores redditas, per quas facilè fluit materia, laudo, vt habeat radices acori, conditas cum melle, vel saccharo, vel myroba. chebulos, vel etiã saccharum ros. vel saluix folia tenuiora, saccharo confecta, & aliquo istorum vtatur assidè mane, & vespere ante prandium, & cœnam, quantū est pondus 3 ij. vel 3 iij. Atq; hęc pro roborandis etiã omnibus reliquis membris. Ad corroboratiōem verò loci, ad quem fit defluxus, qui est tota pars à vertebra vsq; ad imum pedis, præcipuum remedium est, vt illa pars tentetur calida præ reliquis omnibus quàm maximè, & muniatur contra frigus, ideo calidè eius partis fulciantur pollibus, ac præcipuè laudo vulpinas.

CONSILIVM CCCXIX.

De Ischiade, Anno M. D. L. Iunij XIX.



VIDENTVR esse duo actionū genera læsa. Vnū est in actione voluntaria, non enim potest mouere crus. Est etiã in sensu læsio, nam est dolor, qui est sensus tristis. Inquiram igitur causas. Est dolor, ergo est soluta vnitas. Valet enim consequentia, soluta est vnitas, ergo est dolor: & si dolor est, soluta est vnitas. Solutio autem continui fit tripliciter. Primò, quando soluitur quod est in membro ratione missionis, vt frigiditas, & acredo soluit continuum, quia frigiditas mordicat, & non apparet solutio vnitatis, quoad instrumentum. Est alia solutio continui, quæ non separat instrumentū: sed quãdo cōprimat partem, eaq; extenditur, vel cōprimatur, sed non separatur. Tertia est, cū pars à parte separatur. Ab his tribus solutionibus fit dolor. Hęc ratio dicitur, & Galenus testatur. Quæ igitur causa erit in hoc viro? nam refert ad curationem. Quantū ad tertiam, nō video, quòd musculi, & fibræ sint solutæ. Non colligitur id ratione, nec sensu apparet, nam vbi facta est ruptio, ibi perspicua est læsio: & quãtū deperditur de illis fibris, tantum de actione. Nam cū neruus offenditur, non transibit virtus ad partē, vt videmus in neruis, vbi fit separatio, item in fibris, vbi etiã fibræ carnis separantur, fit inflāmatio. Hic nihil huius-

A modi est, & quando fit talis solutio, fit per contusionem, vel incisionem, & sequitur inflammatio. Et ita hinc non est solutio fibrarum in musculis, & carne, sed sunt tensiones. nam ad vigesimam tertiam vel vigesimam secundam vertebra est compressio, quia ex violenta, vel sinistra versione, nerui seruietes huic motui comprimuntur, & fiunt dolores ingentes, vt omnes vos scitis, & torquentur dolore, donec neruus redeat ad locum suum: & si magna contorsio, diu durat, si parua, parum.

B Et si neruus redeat ad locum suum, tum locus factus imbecillior est, vt si veniat leuis impressio, facilè imprimat eam, ac redeat illa contorsio. Et ego id experior in vno crure, quod cum semel erat contortum, & nunc facilè contorquetur. Ita etiam in hoc viro contingit primò grauis contorsio, sustinuit pondus graue, vt hauriret vinū, dūq; corpus totum sustineret, ibi facta est cōtorsio: redijt iterum, cū laborasset illis diebus, exercitio maximo partes incaluerunt, & fecit tensionē, ex qua dolor, & facta est solutio continui, quæ est in secundo genere solutionis. Accessit causa doloris affluxus materiæ, & etiam intemperies, quæ ibi inducta: & ita intemperies cum affluxu materiæ repenti facta fecit dolorem: ergo nō est solutio, vt sit separatio partium. Causa, quòd non mouetur, est, quia nerui proueniunt mouētes crura à 22. vertebra, læsis illis neruis, nō est mirū, quòd non moueant bene crura, quia sunt impediti, & spiritus nō bene demādatur, & accedit dolor ad genu etiam, propter quē defluit humor, & intemperies fit in partibus subiectis. Credo has causas doloris esse & impediti motus. His stantibus videndum, an morbus sit factus, vel fiat, nō loquor de contorsione, nam iam declinat, non augetur, sed nū sit in augmēto defluxus humoris, an possit facere inflammationem. Nam video corpus repletum & molle, venas latas, nō se exercet, nō accipit medicamenta, & habet repletionem nō quoad vasa, id est, repletionem sanguinis, sed ad virtutem, quia membra infirmiora: & cōtingit vtranq; repletionem simul esse, 4. de Tuen. san. vidēdum est hinc ne sit affluxus. Ac ita inciperē ab euacuatione diuersiua, proq; intentione humoris fluentis, & fluxuri diuenterem cassiæ flore, & mitterē sanguinē à basilica brachij eiusdem lateris, ratione diuersionis. Deinde si nihil hoc impediret, euacuarem à loco, vt fecit Galen. in ischiadica incisa saphæna. Vbi dolores infra renes, debemus euacuare per venas poplitis: si dolor stabit, cōcoque humores, & euacua, prius (vt dixi) præparatis humoribus, & sæparatis bonis à malis. Euacuarē autem confectiōe hamech, quæ est optima, ingreditur colocynthis, scammonium, agaricus, sena. Darem pillulas aggregatiuas, maximè enim conueniunt, & sunt meliores illis fortiorib. Facta euacuatione ad affectum locum venirem, & facile etiam fieret reditus ad sanitatē, ratione victus, & quiete sine localibus. Nec erit opus ijs vt, antequam euacuetur, inungat locum oleo chamæmelino: fouebit neruos, & materias emolliet, & leniet dolores, quia illud oleum est lene, non attrahit. Postea optimum esset, vt vteretur fomentis, & balneis suo tempore.

CONSILIVM